



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 29. Pleni odii peccatorum, plenæque proinde conversionis, seu
pœnitentia signa, seu effectus ex Apostolo 2. Cor. 7. recensentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

facit peccatum, servus est peccati? Certè vidua, de qua proxime, à nullo sapiente crederetur plenum & capitale odium contra mariti sui trucidatorem ex toto corde concepisſe (tametsi aliquod illius specimen verbis, ejulationibus, querimoniis & clamoribus exhibuisset) si facile & citò, puta tertio, vel quarto, vel sexto post trucidationem die, trucidatori illi reconciliata, se ipsi in uxorem tradidisset; sed id totum ab omnibus, vel simulatè, vel saltem ex toto corde non processisset crederetur. Idem ergo de peccatoribus credendum, qui licet verbis, ejulationibus, & protestationibus multis plenum se de peccatis odium concepisſe in speciem demonſtrant, cum illo facile & citò, nimirum quarto, vel sexto post Confessionem die, in illud reincidentes, se illi rursus in fervos & mancipia tradunt.

CAPUT XXIX.

Pleni odii peccatorum, pleneque proinde conversionis, seu poenitentia signa, seu effectus ex Apostolo 2. Cor. 7. recensentur.

358 Sicut ex fructibus arbor, sic ex effectibus voluntas plene conversa, pleneque odio peccata detestans cognoscitur. Quemadmodum enim vera charitas, sic vera conversio ac poenitentia esse nequit otiosa, sed in opera convenientia prorumpit. Unde quod Gregorius de charitate dicit, operatur magna, si est, si autem operari renuit, non est: hoc & de peccatoris conversione ac poenitentia dicendum. Neque enim poenitentia verbalis, superficialis, & otiosa, poenitentia vera est, vel saltem non plena, neque ea contentus est Deus; sed sicut per Joannem de charitate dicit, filius, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate, opere utique charitatis nostrae veritatem demonstrantes, sic & de poenitentia dicere intelligitur: Peccatores, non tenitea vos verbo, neque lingua, sed opere & veritate; faciendo utique id quod Mauth. 3. jubet: Facite fructus dignos poenitentiae. Hofce fructus Apostolus loco citato recenset, dicens: Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. Gracè poenitentiam impoentendam; id est à qua poenitens facile & citò non recedit. Quod probat ex effectibus quos producit: Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantum in vobis operatur sollicitudinem, sed desensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed emulationem, sed vindictam.

359 Hæc sunt ergo, quæ (secundum Apostolum) operatur poenitentia secundum Deum, si plena sit, sive ex toto corde.

Primo namque operatur sollicitudinem, illam scilicet de qua Mich. 6. Indicabo tibi... quid Dominus requirat à te, utique facere judicium & justitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo, sollicitudine magnâ cavendo relapsum, sive divinæ Majestatis offensam, ait Dionysius Carthusianus de arcta via salutis, in proem. addens, quod ad hanc timoratum, & sollicitam cum Deo conversationem hortatur vos Paulus, dicens: "Cum metu & tremore salutem vestram operamini." Hieremias quoque, cum ait: "Maledictus, qui facit opus Dei negligenter."

Secundo operatur desensionem, id est præcautiones & præmunitiones necessarias ad vitandum relapsum.

Tertio indignationem, quâ scilicet indignatur homo sibi metipso, id est horret & fremit contra seipsum, quod tam pravè egerit, prout Hilarius Sardus, B. Lanfrancus, Remigius Antifidiorensis, & Dionysius Carthusianus exponunt ad cum Apostoli locum.

Quarto timorem, non solum divini judicii, infernalisque tormenti, sed maxime iterationis peccati. Verè namque poenitens vehementer timet incidere in manus Dei, & reincidere in foveam peccati, ait idem Dionysius Carthusianus ibidem.

Quinto desiderium magnum, seu propositum firmum, & voluntatem plenam emendationis.

Sexto emulationem, seu zelum, quo peccator irascitur sibi, & iis qui ipsum ad peccandum induxerunt.

Septimo vindictam. Quia, ut B. Lanfrancus 364 ait, vindictam operatur poenitentia vera, dum poenitentes quod deliquerunt vindicant in seipos. Enimvero, ut Hilarius Sardus (sub Ambrosii vel Ambrosiastri nomine vulgò erroneè citatus) necesse est ut peccator vindicet eum, cujus erga se sentit afflictum. Et in seipsum vindicat, qui se causâ delicti affligit. Per vindictam ergo intelligitur punitio peccati. Qui enim veraciter poenitet, peccatum commissum in seipso puniendo ulciscitur, insigendo sibi poenam, secundum culpam mensuram, ait Dionysius Carthusianus.

Isti sunt igitur effectus, quos vera pleneque operatur, & ex quibus proinde cognoscitur poenitentia. Unde S. Thomas Villanovan. conc. in ser. 6. post Domin. 4. Quadrag. Apostolum (inquit) audiamus. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantum in vobis operatur sollicitudinem, indignationem, vindictam. Hæc omnia bona, tristitia quæ secundum Deum est, operatur in homine, si plena sit. Et qui sic affecti non sunt, grandem peccatorum suorum malitiam, & quid sit Deum offendiſſe, non recognoscunt. Tametsi enim absque vindicta & punitioe externa (utpote ob temporis & virium defectum subinde impossibili) poenitentia esse possit vera & plena; indignatio tamen, ac per consequens appetitus vindictæ jam dictus, seu desiderium & votum, bonaque voluntas eam pro mensura peccatorum suorum, ac virium corporis & animæ præstandi, ad poenitentiam veritatem ac plenitudinem est omnimodè requisita, uti latius ostendemus, dum de satisfactione agemus.

Porro si hæc omnia operatur in homine tristitia, 364 seu poenitentia; quæ secundum Deum est, dum vera est, ac plena. In iis ergo hominibus, in quibus ea non operatur, vel vera non est (saltem in oculis hominum) vel certè non plena. Et hoc valdè notandum, ut Confessarius prudenter judicet de magnorum peccatorum, maxime recidivorum consuetudinariorumque conversione & poenitentia vera ac plena. Cum enim interna peccatorum conversio ipsi nota non sit in seipsa, sed soli Deo (cui soli manifesta sunt secreta cordium, & qui, ut Origenes ait l. 2. in epist. ad Rom. solus est qui secundum veritatem, quæ nunquam deficit, potest habere judicium) ipsi solum nota esse potest per signa externa, ex quibus homines prudentes de occultis dijudicare solent. Inter signa verò externa poenitentiae veræ ac plenæ, nulla sunt minus fallacia quam opera, quæ efficere solet poenitentia vera ac plena: cum cætera signa absque operibus, maxime absque emendatione, nimis fallacia sint, uti demonstrabitur in sequentibus. Opera verò illa, ab Apostolo recensita, absque emendatione esse non solent. Cùmque Confessarius de poenitentis sui vera ac plena poenitentia habere non possit certitudinem physicam, & infallibilem, sed moralem dumtaxat, vel (ut bene Illustrissimus D. Episcopus Atrebatensis in sua Instructione cap. 3.) fiduciam rationabilem, signis solidis & vehementibus innixam; nec verba, vel momentanei gemitis dictorum peccatorum sint ejusmodi signa (utpote nimis sæpè fallentia, ut experientia docet) solidiora certè non superant, nec vehementiora, nec minus fallentia, quam

opera illa, cum emendatione conjuncta. Ad ea proinde Confessarii attendere debet, ut munere suo fideliter & prudenter fungatur. Sed ista omnia uberiori, ut dixi, demonstrabuntur in sequentibus.

CAPUT XXX.

Pœnitentia vera & plena, magnorum præferitur peccatorum, de peccatis commissis poenae exigere, & laboriosa esse debet.

362 Sequitur ex proximè dictis, ex eo utique quòd Soperetur in homine peccatorum vindictam. Necnon ex eo quòd à punitione (ut S. Hieronymus ait in exhort. ad poenit.) poenitentia nomen accipit, quasi poenitentia, dum ipse homo poenitendo quòd malè admisit. Nam (inquit l. 6. origin.) nihil aliud opunt, quos veraciter poenitet, nisi ut id quòd malè fecerunt, impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non poenitentibus ille parci, justumque judicium nullus contemptor evadet. Quod & totidem verbis Augustinus dicit epist. 158. Unde & Author lib. de ver. & fals. poenit. c. 19. sub Augustini nomine citari solitus, Poenitere (inquit) est poenam tenere, ut semper poeniat in se ulciscendo, quòd commisit peccando. Et paulò post: Poenitentia est vindicta semper poeniens in se, quòd dolet commississe. Idque velut Augustini oraculum tradunt Magister lib. 4. dist. 14. Gratianus dist. 3. c. poenitentia, cumque ipsis Theologi & Canonistæ passim omnes. Unde & Tridentinum sess. 14. c. 2. dicit, quòd post innocentiam baptismalem aliquo crimine amissam, ad plenam & perfectam peccatorum remissionem... per Sacramentum Poenitentiae sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinà id exigente justitià, pervenire nequaquam possumus; ut merito poenitentia laboriosus quidam baptismus à SS. Patribus dictus fuerit.

363 Ad quæ sacri Concilii verba "quisquis animam advertere voluerit" (ait Illustrissimus Atrabatenfis ubi suprà c. 2.) "non poterit non deprehendere... paucissimas esse inter Christianos nos poenitentias, quæ notas præferant, quas hic exigit Synodus ut verè sint. Addeque plerumque earum, quibus hoc nomen tribuitur, non esse nisi poenitentiarum species & phantasmata. Proinde dici posse, nunquam in Ecclesia fuisse tam paucos poenitentes veros, etiam nunquam fuerint & confessiones magis iteratæ, & absolutiones frequentiores.

364 Verùm si à poenitentibus convertamus oculos ad illorum Directores, qui ipsis Sacramentum reconciliationis & gratiæ (quæ una ipsis superest post innocentiam naufragium salutis tabula) administrant; potestine non observari pari admiratione & dolore, quam pauci ministerio suo fideles sint, cum certè difficillimum sit, aut potius omninò impossibile, verba Concilii, quæ jam recitata sunt, cum ignava illa ac molli innumerorum Confessoriorum directione conciliare? A quibus utique peccatores, in Sacramento Poenitentiae ducuntur per viam suavem, gratam, inter medias voluptates, & delicias sæculi, nullo inuncto labore. Nam illorum poenitentia, cum absque laboribus sit, vera poenitentia non est; & qui illos per vias istas ducunt, cæci sunt, & duces cæcorum... qui aut metu fortè displicendi, aut ignavà spe commodi, scientes & volentes illos perdunt. "Siquidem hanc per fletus & labores directionem, ut alibi dicit Synodus, divinæ justitiæ ratio exigere videtur. Sed quia illa vel peccatoribus, mundo & carnis voluptati addictis, vel poenitenti istis ignavo non congruit, sufficit hoc sæculo nostro corrupto ut non observetur.

Sane (aiunt Tridentini Patres) & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo ingratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui semel à peccati & demonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam Clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione, seu punitione, peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, vel ut injurii & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur. "Decet "insuper "ut intelligat "peccator "juxta S. Augustinum, ludum "non esse, Deum contemnere, & creaturam ipsi "præferre. Decet, juxta S. Gregorium, ut ultro renuntiando voluptatibus licitis, reparat iniquitatem, quæ se infelicitè tradidit illicitis. Hæc absque dubio dispositio est, quæ culpam reparare debet verus & sanctus poenitens, & ad quam cum ducere deberet bonus Director. Verùm etsi illam agendi rationem exigat divinæ justitiæ; non continò eam exigit commodum Directoris, qui timet poenitentem suum à se alienum reddere; non eam exigit naturæ propositio; non teneritudo sæculi. Ideoque eam non amplectimur. "Inò ratiunculæ & cavillationes excogitamus contra argumentum ex Tridentino deductum. At frustra, uti cap. 41. ostendimus.

Alio argumento, ex Historia Ecclesiastica petito, Illustrissimus Atrabatenfis probat, poenitentiam necessariam ad imperandam admittendorum criminum veniam esse debere laboriosam. "Novatiani " (inquit) "quos iniqui & immoderati rigoris spiritus ab Ecclesia separavit, cum olim quererentur de indulgentia, quam peccatoribus verè se convertere volentibus Ecclesia exhibebat, dando eis, quorumcumque criminum rei forent, poenitentiam, modò eam explebant, veniam concedendo. Novatiani (inquam) dicebant probari crimina, dum ita facile remittebantur: qui sapienter, aiebant, remedium criminis monstrat, crimen ostendit. "Respondebat illis Ecclesiæ nomine S. Episcopus Pacianus epist. 3. Fortasse passeret hoc credit, si poenitentia delicta putarentur, cui tantus labor impenditur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lacrymæ, cui gemitus sempiterni. "Inde ostendens periculum non esse, ne poenitens, tam durè habitus, ad peccatum redeat, iterumque se subeundis poenis illis & laboribus subjiciat, concludit enim: *Volet ergo ille sanatus iterum se carere, rursus exuri?*

Quid hoc sæculo objectioni illi respondere possent, qui in iniquo se fundantes abusu, eam rationem tenent, quæ, juxta sanctum illum Præfulem, si in Ecclesia stabilita foret, essetque menti illius conformis, justas esse probaret illorum hereticorum querelas; quæ ipse tam disertè verbis mox relatis condemnat? Sed quò non progredietur cæcitas, dum proprio commodo favet, & cupiditati blanditur? Scimus, fratres mei, nec possumus non cum horrore dicere, scimus peccatores, postea verè compunctos, quæstos fuisse, se pro satisfactione criminum enormium, quæ plurimum annorum poenitentia primis sæculis castigata fuissent, accepisse poenitentias tam leves, ut referre pudeat, quales sunt quinquies Pater, & quinquies Ave, aut decades aliquot Rosarii, ita ut arbitrati minimè se per poenitentias, criminibus suis tam parum congruas, Deo satisfecisse, alios Directores intelligentiores quæserint, qui aliis ipsos vias ducerent, totà illis religione persuadente, vias istas, vias Ecclesiæ esse non posse...